

pendit juvandis popularibus suis, quorum ut saluti confuleret, nihil sibi reliqui ad laborem diligentiamque faciebat. Ejus tamen industriam experti maxime sunt Parodienses in præfectura Carolitana, quam civitatem per usitata ordinis ministeria diu coluit. Novissime regionis præfectus Marchio Ragnius, jussus a rege copias in Campaniam ducere contra Ernestum Mansfeldium Galliae finibus imminentem, Biardum sibi adsciverat comitem expeditionis, & sacrorum ministrum. Per eam occasionem nescias, utrum spectata magis sit apostolici viri charitas, an patientia. Magna erat in castris inopia commeatuum. Diaria militibus præbebantur adeo maligne, ut nonnulli fame perirent. Biardus cibario, & demensum suum, ac siquid præterea pecuniolæ a ditioribus emendicando corrogasset, inter egentissimos militum partiebatur, se ipsum fraudans diurno victu, ut aliis benigne faceret. Avenionem concess-